



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0893

Sabato 16.12.2023

Lettera del Santo Padre all'Inviato Speciale alla celebrazione del "doppio giubileo" della Diocesi di Augsburg in onore del Patrono Sant'Ulrico, nel 1050° della morte e nel 1100° dell'ordinazione episcopale (28 dicembre 2023)

In data 30 ottobre 2023 il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Christoph Schönborn, O.P., Arcivescovo di Vienna, Suo Inviato Speciale alla celebrazione in occasione del "doppio giubileo" della Diocesi di Augsburg in onore del Patrono Sant'Ulrico, nel 1050° della sua morte e nel 1100° della sua consacrazione episcopale, che si terrà il 28 dicembre 2023 nella Cattedrale di Ausburg.

L'Inviato Speciale sarà accompagnato da una Missione Pontificia composta dai seguenti ecclesiastici:

1. Rev.do Can. Armin Zürn, Parroco del Duomo di Ausburg;
2. Rev.do Don Christoph Hänslar, Parroco della Basilica dei Santi Ulrico e Afra in Ausburg.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Christoph Schönborn, O.P.:

Lettera del Santo Padre

Venerabili Fratri Nostro
CHRISTOPHORO S.R.E. Cardinali SCHÖNBORN, O.P.
Archiepiscopo Metropolitae Vindobonensi

Permagnam consuevit Ecclesia ostendere aestimationem omnibus Sanctis, iisque potissimum qui muneribus apostolicis animose impigreque dederunt operam, vel qui dioecesanis communitatibus veluti Antistites praestiterunt. Inter hos est annumerandus procul dubio sanctus Udalricus, qui primum sodalis Monasterii Sancti Galli, deinde Episcopus lautae Augustanae Vindelicorum ecclesialis communitatis fuit. Nobili genere natus, nobilius quoque eius vitae opus, nobilissima denique exempla abstinentiae, largitatis et vigilantiae, quae usque ad dies nostros permanent. Etiamsi ab eius episcopali consecratione ac obitu mille centum atque mille quinquaginta annorum transisse traduntur, adhuc hodie, certe, sicut lucerna posita super candelabrum splendet coram hominibus (cfr *Mt* 5, 15-16) vita huius sancti Episcopi, dilectae dioecesis Augustanae Vindelicorum

Patroni.

Considerato quidem huius duplicis iubilai pondere simulque cupientes sancti Udalrici, viri fortissimi pastorisque insignis fidem catholicam, Christi dilectionem Ipsique plenam et fidelem deditionem, quibus assidue orationem coluit, restaurationem, reconciliationem et pacem fovit atque cum cordis aure necessitates populi sibi concrediti auscultavit, nostrae aetati rursus proponere, de anno iubilaio in eius honorem Augustae Vindelicorum celebraturo omnino laetamur.

Idcirco libentes volentesque postulatis occurrere volumus Venerabilis Fratris Bertrami Ioannis Meier, Episcopi Augustani Vindelicorum, qui a Nobis petiit ut Patrem Purpuratum illuc mitteremus ut magnificentius eventus ille perageretur. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cor et mentem convertimus, quem omnino dignum iudicamus hoc officium sustinere, quia etiam tua communitas archidioecesana cultu huius Sancti clare eminet. Fraternali ideo tibi benevolentiam confirmamus teque, Venerabilis Frater Noster, hisce Litteris NOSTRUM MISSUM EXTRAORDINARIUM renuntiamus et constituimus ad singularem eventum memorati duplicis iubilai Augustae Vindelicorum proximo die XXVIII mensis Decembris in Cathedrali ecclesia celebrandum.

Sacris ritibus nomine Nostro praesidebis, omnes adstantes salutabis atque Nostram benevolentiam ostendes, quibus totam Augustanam Vindelicorum urbem et dioecesim complectimur et multa loca ubi Sanctus pie colitur.

Instanti denique prece Omnipotentem Deum exoramus ut diligenter officium tibi concredutum expleas, quo ibidem Pastores et Christifideles multiplicibus gratiis a Domino ditentur. Caelestium verum donorum conciliatrix et nuntia esto Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libenter in Domino impertimur, quamque ad omnes congregatos et sancti Udalrici devotos effuse volumus pertinere.

Datum Romae, Laterani, die XVII mensis Novembris, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS

[01948-LA.01] [Testo originale: Latino]
